



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Tomus ...**

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1652-1663**

Sectio I. De Præcepto quinto Decalogi, receptiores sine pugna sententiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80586](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80586)

LIBER XXXII. PRÆCEPTVM DECALOGI. QVINTVM.

Quintum Decalogi Præceptum. Non occides, exponendum assumo, quod inter Præcepta negativa, quæ prohibent, nō proximus offendatur, primum obtinet locum. Primum itaque agam de Homicidio, quod permittitur. Deinde de Homicidio, quod prohibetur. Tertiò, de Homicidio Casuali. Quartò, de Restitutione propter Homicidium, referens quidem receptiores Doctorum sine pugna sententias. Mox verò haud dissimili ordine problematica disquisitione totam materiam illustrabo.

S E C T I O P R I M A.

De Præcepto Quinto receptiores sine pugna Sententiæ.

CAPVT I.

De Homicidio, quod permittitur.

¹ **Q**uinto Decalogi Præcepto, Non occides, omnis, & sola illa occisio prohibetur, quæ rectæ rationi dissona, ac repugnans est, nempe qua homo priuatur vita rationali contra rationem rectam, & rationalem hominis voluntatem. Vnde Homicidium definitur, *iniusta hominis occisio*. Peccatum lethale est, tantoque gravior, quanto iniusticia quæ sit homini, dum vita priuatur, maior est. D. Thom. 1.2. q. 100. a. 8. ad 3. Victor. de homic. a. n. 14. ad 29. Tolert. lib. 1. c. 6. & alij communiter.

² **L**icita est animalium non prohibetur hoc præcepto. Imò de fide tenendum, homines in usus suos animalia posse interimere. Quia in Scriptura Sacra, homo Dominus inferiorum omnium constituitur. Genes. 9. *Omne, quod mouetur, & uiuit, erit vobis in cibum*. Ergo potest in suum usum convertere. Sylu. 2. 1. q. 64. a. 1. Molina ro. 4. tr. 3. d. 4. Lessi. l. 2. c. 9. dub. 1.

³ **L**icet cuique sibi mortem exoptare ad incōmoda temporaria vitanda, nempe aegritudinem, animi afflictionem, paupertatem, &c. Quia prudenter quis censere potest, maius malum aliquam afflictionem esse, quam mortem; Ergo non est contra charitatem sibi debitam, velle mori potius, quam illo affici incommodo. Aramen extra casum magnæ calamitatis, aut afflictionis huiusmodi efficax desiderium vix potest à mortali excusari. Quia graviter lædit charitatis iura, qui vult priuari

Escob. & Mend. Theol. Moral. Tom. IV.

maximo naturali bono, cuius non est Dominus, absque graui causa. Certè desiderium mortis talis est naturæ, ut nisi sine honesto, aut bono non leui momenti cohonestetur, grauius malum sit, sicut est malum grauius occidere proximum. Santius in select. d. 2. num. 9. Sotus in 4. dist. 5. q. viii. art. 5. post 5. conclus. Granad. 2. 2. controu. 3. tr. 6. d. 2. sect. 4. n. 22.

Ex ignorantia inuincibili posset quis excusari ab homicidio sui ipsius, nempe ad vitandam ignominiam, vel tuendam castitatem. ⁴ *Ex ignorantia inuincibili posset quis excusari ab homicidio sui ipsius*. Quia probabilis sententia est, ignorantiam posse quis excusare Lucretiam à lethali piaculo potuisse. Nam se occidere ob pudicitia custodiam, non est ita euidens esse malum, quin inculpate possit ignorari, ac putari licitum. Et quamuis homicidium sit contra lumen naturæ secundarium, hoc est contra cōclusiones deductas ex principiis lumine naturali, potis tamē potest cadere ignorantia in eiusmodi veritate, non solum inter Ethnicos, sed etiā apud Christianos. Sic à multis excusatur D. Polonia factum. Sotus l. 5. de iust. q. 1. a. 9. Malder. 1. 2. tr. 1. c. 1. dub. 17. Molina de iust. to. 4. tr. 3. d. 9. Filiuc. tr. 29. n. 67. Lessi. l. 2. c. 9. n. 23.

⁵ **L**icita est alterius occisio ad propriam defensionem: modò hæc confluant conditiones: Vt vis ab altero inferatur, & inuasor inuadat iniuste, & ad vitiæ. Vt occisio fiat in ipso inuasionis actu, ita ut nō sit in præueniatur inimicus. Vt occisio non fiat post factum: quia alias esset ultio, & non defensio, nisi hoc fieret ad defensionem honoris. Vt fiat cū moderamine inculpate tutelæ, hoc est, quā do efficitur id tantum, quod expedit ad vitam conseruandam, seu quādo adhibetur ea moderatio, & cautio, sine qua iniuria decelli nō potest. Vt inuasus probabiliter credat, se grauius læ-

dendum, vel occidendum, si vi non repellat; occidendo iniustorem: Hisce conditionibus quinque adhibitis, fas est occidere iniustum iniustorem, ad vitæ defensionem, vel membrorum integritatem. Quia viam vi repellere omnia iura permittunt. Alexand. cap. 3. si vero, de sent. excommun. Sayr. in Clavi lib. 7. cap. 10. num. 18. Nauar. sum. cap. 15. num. 3. Syluest. verb. Bellum 2. num. 1. Manuel. part. 1. sum. cap. 155. Valent. 10. 3. d. 5. q. 8. pun. 4. Lessi. l. 2. c. 9. dub. 8. n. 41. Bannes 1. 2. q. 64. art. 7. Diana p. 5. tract. 4. resol. 1. & 2.

6 Etiam Clericis, & Monachis hoc concessum est, sicut laicis, idque contra quoscunque, etiam contra superiores: Monacho contra Abbatem: filio contra parentem, seruo contra dominum, vasallo contra Principem: & in quocunque officio sit occupatus, unde si quis celebret, & iniudatur, potest se tueri, ac iniustorem occidere, si necesse sit, & potest ea sacrum continuare. Doctores citat. Attamē si ex morte Principis magni Reipublicæ damnum sequeretur, ut bella civilia ob successionem: tenetur persona vilis perpetui mortem. Lessi. l. 1. c. 9. n. 42. Molina 4. tr. 3. d. 14. concl. 2.

7 Licitè potest occidi furiosus, vel amens, vel ebrius, vel dormiens, qui alium iniuste inuadit, si aliter euadere non potest iniustus. Quia viam vi licet repellere: nec ex eo, quod ille iniudando non delinquit, debet iniustus vulnus expectare. Omnes communiter.

8 Si Antonius iniuste inuasit Ioannem à principio, sed postea voluit ab iniustionis prosecutione desistere, suamque voluntatem Ioanni indicauit. Antonius autem iniustus noluit à pugna desistere: Ioannes nō parat homicidij peccatum occidendo Atonium, si aliter nequit suā vitā defendere. In foro autē externo punietur non adhibuit sufficientem cautionem. Lessi. l. 2. c. 9. n. 41. Molina 10. 4. de iust. tr. 3. d. 11. n. 2. Bonac. de restit. d. 2. q. ult. sect. 1. pun. 8. n. 5. & 6.

9 Licitum est occidere satellites, seu publicos ministros cum moderamine inculpata telæ, quando iniuste conantur innocentem interficere, vel illum capere, ut iniuste occidatur, si autem non constet, eum esse innocentem, sed bona fide manus suam obeant, occidi non possunt. Quia bonum commune postulat, ut ministro bona fide publicum officium exercenti, iniuria aut damnum non inferatur. Manu. part. 1. sum. cap. 155. num. 9. Aragon 2. 2. quest. 69. num. 4.

10 Quamvis verò liceat occidere iniustum iniustorem ob vitæ nostræ defensionem, regulariter loquendo non tenemur. Quia possumus exponere vitam nostram pro vitâ temporali proximi: imò sæpè laudabilis est permittere te occidi, quam occidere. In aliquibus tamen casibus occidere iniustorem tenemur: verbi gratiā, quando iniustus est valde utilis Reipublicæ. Quia bonum commune priuato est præferendum. Vel quando ex iniusti morte maximum sequetur damnum familiæ, ut vxori, & filiis, quibus tenetur iniustus alimenta præstare. Vel quando iniustus putat se lethalis criminis esse reum, & timer damnationi addici, si tunc temporis occidatur, Quia qui libet

tenetur magis animæ suæ salutem, quam proximi deligere. Tolet. l. 5. c. 5. n. 10. Sa v. Homocidium, num. 17. Molina 10. 4. de iust. tract. 3. d. 14. n. 1. Diana part. 5. tra. 4. resol. 14. Lessi. lib. 2. cap. 9. num. 56.

Si non potest iniustus se tueri nisi innocentis, quem iniustor se protegit, periculo: potest se cum eius periculo defendere. Quia ius habet se defendendi, quo non priuatur ex innocentis interpositione, si tamen fugere potest, tenetur saltem ex charitate, ne innocentem interficiat. Idem dicendum de illo qui fugit hostem, & infantem proterit, præ itineris angustia. Quia ius habet ad fugam viam, quo iure nō potest in tanto discrimine priuari ratione infantis imbecillitati. Casu tamē, quo infans esset sine loco obituro lauacro, lege charitatis teneretur, potius se occidi permittere. Quia salutem proximi spirituales suæ corporali anteponebat. Corduba lib. 1. q. 38. dub. Nauar. lib. 2. de restit. cap. 3. num. 147. Manu. part. 1. sum. cap. 135. num. 6. & 7. Lessi. lib. 2. cap. 9. dub. 9. Diana part. 5. tract. 4. resol. 4.

Tam Clericis, quam laicis licitum est occidere propriam facultatem iniustorem, si illa magni momenti existant, nec sit probabilis spes, aliter illas recuperandi. Quia omnibus licitum est iure naturæ viam vi repellere non lo- lum à propria vita, sed etiam ab his, sine quibus simpliciter, vel commode vita iuuentur non potest. Tamen si aliter facile saluari, aut recuperari res possint, non est licitum latronem occidere iniudentem. Porro in dubio, an recuperari possint, latro possit occidi. Pro re minima non conceditur ius defensionis cum tanto alterius malo. Res autem exigui momenti dicitur, quando est valoris triu, quatuor, aut quinque nummorum aut eorum. Manuel 10. 1. sum. c. 135. n. 15. & 16. Valent. 10. 3. d. 5. q. 8. pun. 4. Molina 10. 4. de iniustia, tr. 3. d. 16. Nauar. sum. c. 15. n. 2. Lessi. lib. 2. cap. 9. dub. 11. Sayr. in Clavi l. 7. c. 10. num. 30. Diana p. 5. tr. 4. resol. 17. & 18.

Varij vero sunt modi rem alienam iniudentem. Primò si quis per se nitatur auferre, & sequi contra impediendum defendat: in hoc casu licet impediendi raptorem occidere. Secundo, si raptor re accepta fugiat, potest dominus illum insequi & ferire: vel si necesse sit, telo petere: non licet tamen furem interficere, qui in tutam recepit, & re incepta quiete possidere. Tertio, si re loco certo deposita, volens ingredi in eum locum vi raptor impediatur: videtur concessum, ut vi aliter repellat, suam que rem recuperet: admodum de fure, cuius ope id possit consequi. Idem dixerim, quando quis nulla interposita mora, raptorem persequitur. Quarto, si quis res alterius iniudat, famuli ministerio, vel arte magica per demonem, nec alia ratione quā necesse sit præcipientis aut molientis possit impediri. Quinto, si coniuuauerit in alterius dāna. Sexto si quis alterius debitor iniuste impediatur, ne creditor satisfaciatur. Septimò, si falsa accusatione, vel falso testimonio alius fortunis conetur euertere: nec alia ratio impediendi suppetat. Reginal. lib. 2. n. 67. Diana part. 5. num. 4. resol. 37. Valq. de restit. §. 1. dub. 8. numer. 43. Lessi. lib. 2. cap. 9. dub. 11. numer. 74. & 75. Manu. part. 1. sum. c. 73. num. 15. Syluest. verb. Bellum, 2. num. 3.

Licitum est cuilibet pro pudicitia defendere

ELSCOBAR

Theologia Moralis

Tom. III. IN

E. IV.

Pro pudicitia sione inuaforem interimere, quando pudicitia fugiendo, aut vociferando, vel alio modo defendi non potest, quam opes æstimatur: & in hac re non semel adest peccati periculum. Scio tamen posse feminam condonare inuafori vitam patiendo sui violationem, quando abest consensus periculum. Nauar. *sum. cap. 15. num. 5. Sylui. 2. q. 64. artic. 7. questio 9. concl. 1. Moli. tom. 4. de iur. tract. 3. d. 17. num. 10. Diana part. 5. tract. 4. resol. 36. Manu. tom. 1. sum. cap. 73. num. 14.*

15 Inuaforem inferentem ignominiam licitum est occidere, si aliter ignominia vitari nequit. Quia periculum famæ æquiparatur vitæ periculo. Vnde potest occidi, qui virum honoratum fuisse, vel alapa percutit, vt ignominiam inferat: nec in hoc casu inuafus tenetur fugere, si fuga est illi ignominiosa: non enim tenetur vitare pati tantum incommodum, etiam si fugiendo suam, & inuaforis vitam conseruet. Id tamen non admiserim in plebeis hominibus infimæ conditionis, qui ex alapis aut verberibus non magnam sustinerent ignominiam. Lessi. *lib. 2. cap. 9. dub. 12. num. 77. Nauar. sum. capit. 15. numer. 3. Sayr. in Clau. lib. 7. capit. 10. numero 27. Diana p. 3. tractat. 5. resol. 90.*

16 Profecto honor alterius variis modis potest imperi, & auferri, in quibus receptus est, concessam esse defensionem. Primum si alapam, vel baculo vulnus quis nitatur impingere, de quo bus receptus iam dixi. Secundo, si quis alium per verba, vel signa contumeliis afficiat. Quia licet, contumeliosum occidere, quando aliter contumelia huiusmodi arceri non potest. Sic graues Doctores, quorum sententiam *scilicet* 2. ad trutinam afferam; quia contumeliæ aliter possunt proculdubio repelli. Tertio si quis illata alicui nobili alapa fugiat, aut consistat, huiusmodi vir iniuria affectus potest percutere, aut insequi fugientem, quantum ad honoris recuperationem sufficit: quando aliter honor recuperari nequit. Quia hoc non est, vlciscisci honorem defendere. Quamvis in foro externo insequens punietur pena homicidij, ne cædibus via pateat. Vnde in praxi, vt vitetur cædium occasio, contrarium sustinuerim, præsertim quando læsor veniam implorat. Nauarra *lib. 1. cap. 1. num. 376. Lessi. lib. 2. cap. 9. d. 6. 12. num. 78. Nauar. sum. cap. 15. num. 4. Henriquez de Irregul. capite 10. Diana partem 2. tractat. 1. resol. 15. & particul. 5. tractat. 4. resol. 12. citans Azorium, Syluium, Reginaldum, ac Filiucium.*

17 Licitum est vitam proximi, quæ ab alio priuata autoritate impeditur, tueri, etiam cum inuaforis interemptione, si aliter defendi nequit. Quia possumus cooperari ad bonum, & suscipere partem innocentis. Verum innocens hoc loci dicitur, non solum ille, qui non inuafit; sed etiam ille, qui licet dederit causam inuafionis, aut à principio inuafit, vult nihilominus postea ab inuafione desistere. Imò charitas ad hoc obligat, quando sine graui incommodo nostro, vel alterius, id geri potest. Idque verum est, etiam si ille noller defendi, sed veller se pati occidi. Idem dixerim, quando pudicitia, honor, ac fortunæ proximi nobis sanguine innecti inuaduntur. *Escol. & Mend. Theol. Moral. Tom. IV.*

& opem nostram efflagitat. Quia iniuria quæ personæ nobis coniuncta infertur in nos proculdubio redundat. Sayr. *in Clau. lib. 7. cap. 10. num. 35. Salon. 2. 2. questio 64. art. 7. Sa verb. Homicidium, num. 16. D. Antonin. p. 3. tit. 4. cap. 3. §. 2. Diana part. 5. tract. 4. resol. 19. Malger. 2. 2. tract. 3. cap. 1. dub. 15.*

18 Iure quis potest si velit, tueri vitam hominis priuati cum vitæ suæ probabili periculo: non tamen tenetur. Quia nemo tenetur suam vitam exponere pro vita corporali proximi. Potest enim quis diligere suam vitam præ vitæ cuiusvis priuati alterius. Secus dixerim, si persona Regis, seu Principis periclitaretur, unde bonum Reipublicæ pendet. Adnoto tamen priuatum non teneri defendere alacrius priuati, quando sine occisione inuaforis non potest. Quia ubi mala sunt paria, nemo tenetur vnum inferre, vt excludat alterum, præsertim cum id geri nequeat nisi per proximi occisionem. Certum tamen est, nos teneri bona externa quæ nobis necessaria non sunt ad tuendam vitam, exponere pro vita proximi saluanda. Lessi. *lib. 2. cap. 9. dub. 13. nu. 90. & 92. Moli. tom. 4. d. 18. num. 1 & 2. Diana part. 1. tr. 4. resol. 19. & 28. Reginald. lib. 25. cap. 6. num. 71.*

Si quis commodè potens vitam, vel fortunas proximi non defendit, mortaliter delinquit contra charitatem: sed non tenetur ad restitutionem, nisi iniustitia defendere teneatur. Nam qui ex officio proprio tenentur succurrere, peccant etiam contra iusticiam: nempe Principes, Magistratus, Prætor iuxta modum regiminis sibi præscriptum. Similiter tenetur id gerere tutor, curator, & alij, qui ad hoc conducti sunt, vt famuli milites, feudatarij. Lessi. *lib. 2. c. 9. dub. 11. n. 93. Diana p. 5. tr. 4. resol. 10.*

19 Publica potestas mutilare, ac occidere malefactorem. Cui libet etiam licet sibi membrum, vel partem membri mutilare, quando illius amputatio ad salutem totius corporis est necessaria. Imò in tali euentu adest amputandi obligatio, si dolores sint non nimium diuini Medico iudicante. Quia tenetur quisque vitæ suæ periclitanti medijs ordinarijs, re. non tamen difficilibus admodum, opitulari, si tamen ingentes essent cruciatus tolerandi, non tenetur permitttere, neque etiam potest ad hoc cogi, nisi quando quis est Reipublicæ valde necessarius: tunc enim ad bonum publicum tenetur, & potest cogi à Reipublica. Quia bonum publicum priuato est præferendum. Sotus *lib. 5. de iur. q. 2. art. 1. Molina tom. 4. tract. 3. d. 10. num. 2. Sa verb. Homicidium, num. 14. Tolet. lib. 5. c. 6. nu. 7.*

20 Licitum est cuique, sibi amputare membrum, iubente Iudice, vel Tyranno, alioquin minante mortem. Quia par periculo exponitur, (vel serpente magisterjum præstante, vt totum conseruetur. Hinc est, vt qui catena ferrea detinetur in carcere occidendus, vel flammis est comburendus domo conflagrante, vel necandus à latronibus, vel à feris vorandus, potest sibi membrum amputare, vt se liberet à vinculis, & vitam conseruet. Non licet tamen sibi membrum resecare, si Tyrannus id ob Religionis causam imperaret: exempli gratia. Quia Sacrum fecisti, eas absconde manus. Quia id gerendo, videretur factum suum punire, & improbare. Lessi. *lib. 2.*

Non semper tenetur, quia cum vita propria periculo alterum defendere.

Ex charitate tenetur, priuati vitam, & fortunas defendere. Aliqui tenentur ex iniustitia.

Publica potestas potest mutilare, & occidere. Quando quis potest, & quando dicitur sibi membrum, seu cari permittitur.

Quid si iubeat Iudex vel Tyrannus, vt quis sibi membrum amputet?

l. 2. c. 9. dub. 13. n. 101. Sa v. *Homicidium*, n. 24. Tanner. 2. 2. 4. q. 8. dub. 5. num. 100. Diana p. 5. tr. 4. refol. 32. Tolet. l. 5. c. 6.



CAPVT II.

De Homicidio, quod prohibetur.

²² **N**on licet priuata autoritate malefactorum occidere, sed publica tantum. Quia non licet interficere peccatores, nisi ob bonum Reipublicae: At boni Reipublicae proscriptio ad publicam pertinet potestatem, quae est in Principe, vel Magistratu. Hinc proscripti, contra quos lata est sententia capitis possunt à priuato homine interfici. Quia hoc fit publica autoritate iustitiae, cuius quilibet est respectu proscriptorum minister. Tamen si proscriptus esset extra territorium eius, qui condemnauit, non potest occidi, nisi Princeps loci illius facultatem concedat. Imò proscripti possunt se inuicem etiam proditorie, & per insidias interimere propter propositum sibi primum à Principe, vel ob promissam libertatem. Quia hoc fit publica autoritate, & aliquandò bono communi expedit. D. Tho. 2. 2. q. 64. a. 2. Aragon. ibi. Syluest. v. *Homicidium*, n. 7. Reginal. l. 2. 1. numer. 18. Azor. p. 3. l. 2. c. 2. quasi. 2. & 4.

²³ Non est licitum ante Iudicis sententiam licet impunè hoc à legibus permittatur, interficere uxorem, vel filiam in actu turpi deprehensam. Quia est contra ius naturae aliquem interimere ante sententiam Iudicis, & parte inaudita. Sa v. *Homicidium*, numer. decimo tertio, & decimo quarto. Lessi. l. 2. c. 9. dub. 5. Sylui. in supplem. q. 60. a. 1. Santius in selessi. d. 48. numer. 60. Diana p. 3. de sacram. refol. 223. Nauarra de refol. l. 2. c. 3. n. 100.

²⁴ Non licet homini priuato interficere legitimum Principem, Tyrannum solo regimine, & administratione, hoc est, quando iniuste onerat subditos, discordias dedita opera seminat, ut bonis spoliaret eos, & ipse dicitur. Quia etsi Princeps legitimè tyrannicè regat, tamen est superior, & scriptura imperat, nos Principibus Ethnicis parere. Quando autem Princeps tyrannus est ratione tituli, nempe si absque ullo iure armis Principatum innadat, vel occupet, potest à quouis de Regno interimi, modo conditiones hae interueniant. Prima, ut non pateat ad superiorem recursus. Secunda, ut constet esse tyrannum titulo Imperij. Tertia, ut non sit contra expressam Reipublicae voluntatem. Quarta, ut non timeantur maiora mala ab eius successores. Ratio est, quia talis non est Princeps sed iniustus inuasor, continuò vim inferendo Reipublicae, vnde etiam illi vim licet inferre. Moli. to. 4. tr. 3. d. 6. Baupies 2. 2. q. 64. a. 3. Sa v. *Tyrannus*. Malderus 2. 2. tr. 3. c. 1. dub. 4. Bonac. de resitut. d. 1. q. ult. sect. 1. pum. 1. Sayr. l. 7. c. 10. n. 2. Lessi. l. 2. c. 9. dub. 4. Sylui. 2. 2. q. 64. a. 3. concl. 1. & 2.

²⁵ Licitum non est se ipsum directè seu ex intentione interimere. Quia homo non est dominus vitae suae, & suorum membrorum. Vnde mortaliter delinquit qui priuata autorita-

te occidit aliquem etiam volentem, consentientem, & id efflagitantem. Tamen licitum est quando iusta causa subest, aliquid facere, vel omittere, vnde certò scitur, securus interitus, hoc est, licet cooperari ad propriam mortem, idque tripliciter. Primo indirectè, per accidens, & mediàtè, exponendo vitam periculo ob rationabilem causam, aut omitendo actiones ad vitam necessarias. Secundo, immediatè, ac directè, sed ex praecepto Dei, ut fecit Samson, & D. Appollonia. Tertiò, publica autoritate, si quis coactè sumat venenum; haec enim cooperatio non videtur iniurata esse contraria D. Tho. 2. 2. q. 64. art. 5. Nauarra. sim. c. 1. 5. num. 1. Tolet. l. 5. c. 6. Sayr. in clau. l. 7. c. 9. Lessi. l. 2. c. 9. dub. 6. Sa v. *Iudicialis actus*, n. 54. Aragon 2. 2. q. 69. a. 4.

Tenetur communiter vnusquisque sub mortali suam vitam conseruare, in quantum potest. Suam quisque vitam conseruare, in quantum potest. Sunt tamen multi casus, in quibus quæuis possit, vitam tueri non teneatur. Primus est, quando quis permittit, se occidi nē alter moriatur in peccato lethali: quod intelligo de eo, qui non est persona publica Reipublicae, vel alius admodum vtilis. Si enim talis esset, & non alter, se defendere, etiam occidendo, tenetur. Secundus, Miles potest, sed non tenetur, deferre stationem in periculo communi, etsi certus sit se occidendum. Tertius, reus potest non fugam arripere è carcere aperto, etsi certo sciat, se capite plectendum. Quartus, dominatus ad mortem per famem, potest à cibo clanculum oblato abstinere. Quintus in naufragio potest quis alteri permittere tabulam à se occupatam, & vndis committi. Sextus, si duo in extrema necessitate sint constituti, potest alter alteri cedere cibum, & finire se mori. Septimus, potest quis se telo occidere ad Principis, vel amici vitam conseruandam, si amicus sit damnatus ad mortem iniuste, potest se pro illo occidendum offerre. Octauus, licet militibus de communi consensu immittit pulueri tormentario ignem, quo navis incendatur, vel care se in mare precipites etiam cum aperto vitae periculo, ne cum ipsis navis in infidelium manus in Ecclesiae damnum adueniat. Nonus, exulari etiam possunt qui sui corporis agilitate ambulantes super finem, quamuis enim pericula sit actio, experimento constat, raro accidere & precipitum. Ratio horum omnium est, quia non est prohibitum homini nē vitam suam periculis vnquam exponat; sed tantum nē ex intentione illam quasi exosam auferat. Monu. p. 1. c. 137. numero primo, & secundo. Marchant. in Decal. c. 5. q. 8. casu 4. Nauarra de resitut. l. 2. c. 3. numero septuagesimo tertio & octuagesimo secundo. Malder. 2. 2. tr. 3. c. 1. dub. 19. Tolet. l. 5. c. 6. Sa v. *Homicidium*, Lessi. l. 2. c. 9. dub. 6. n. 27. Bonac. de resitut. d. 2. q. ult. pum. 5. n. 4. Sayr. in clau. l. 7. c. 9. a. n. 19. Diana p. 5. tr. 4. refol. 26. 28. 31. 41. & 42. & p. 6. tr. 7. refol. 48.

Non licet alicui ex intentione vitam notabiliter ieiuniis, vigiliis, psalmorum decantatione abbreviare: & licet id non intendat, aduersus tamen eiusmodi effectum sequi solere. Quia omnes tenemur ex charitate nos ipsos conseruare, & contrarium affectum non habere. Atque tamen non iudicio peccati esse reum, qui per moderatam abstinentiam, aut macerationem, aut ieiunia prauideret fore, ut vita abrenieret, non inten-

ELSCOBAN
Theol. Mor.
Tom. III. IN
E. IV.

Secl. I. De Præcepto V. Recept. Sent. 269

intendendo mortem, sed virtutem. Quia hoc non repugnat rationi, cum ea opera laude sint digna. Vnde si quis indiscreta ieiunia suscipiat, quæ vitam abrenuntiatur sunt, sed id non aduertat, & intendat spirituales animi profectum, à peccato excusatur. Quia inaduertentia facit, quoddam vitæ immunitio voluntaria non sit. Nauar. sum. c. 15. n. 12. Aragon. 2. 2. q. 6. 4. 6. 5. ad 5. Azor. p. 1. l. 5. c. 6. q. 7. Navarra l. 2. c. 3. n. 88. Victor. de temper. n. 2. Diana p. 5. rr. 4. resol. 33. Pasqualig. in praxi ieiunij, decis. 27.

28 Non potest femina se ipsam interimere, ne non potest ab alio violari. Quia violatio non imputatur illi ad peccatum, nisi adsit consensus: nec per id virtus castitatis aut laetitia virginis amittitur: cum potius dicatur pati, quam agere. Secus dixerim de viro, qui ob metum mortis fornicationem committeret. Quia hic actus concurrit ad actum, consentit, & vult illum gerere. In eo autem casu, quo mors feminæ minitatur est, nisi crimini assentiatur, potest se negatine habere immota manens, si periculum consensus absit. Verum quia admodum est difficile, ob vehementem naturæ inclinationem non consentire, ideo licet poterit id periculum præueniendo resistere, etiam spreto morte: imò laudabiliter pro virtute morietur. Reginal. l. 1. n. 43. Diana p. 3. rr. 6. resol. 31. Benedict. sum. l. 2. c. 4. n. 7. Sayr. in clau. l. 7. c. 9. n. 23. Tolet. l. 5. c. 6. n. 4. Nauar. c. 16. n. 1.

29 Licet non est, directe innocentem occidere. Quia cum nullus homo habeat vitæ alterius dominium, nemo potest eam auferre, nisi vel ad necessariam defensionem, vel ad criminum punitionem. Vnde si tyrannus innocentem persequeretur, & minaretur Urbis excidium, nisi illum ciues interimitant non possunt interimere. Possent tamen Respublica innocentem cogere, ut ad tyrannum accedat: & si pergere noluit, potest eum tyranno tradere. Quia innocens in eo cunctatur mortem obire pro patria, & vltro sese offerre tyranno, nec se exponit, si certum sit calamitatem communem esse impediendam. Ergo etiam ad id compelli poterit. D. Tho. 2. 2. q. 64. a. 6. Sylui. ibi. Bonac. de res. i. d. 2. q. vlt. pun. 7. nu. 1. Lessi. l. 2. c. 9. dub. 7. Moli. 10. 4. rr. 3. d. 10. numer. 4. Navarra de res. i. l. 2. c. 1. n. 10. Diana p. 5. rr. 4. resol. 23.

30 Non licet aggressorem vitæ nostræ præuenire, ante quam moraliter actum aggressionis inciperit. Quia ante aggressionis actum non infertur illa vis, quæ sit repellenda. Vnde licet erit vxori occidere maritum, qui iam pugionem sub cervicali ad eius necem collocauit, vel apparauit venenum, aut quid simile: modò non sit alia spes euadendi ex eius manibus. Non liceret tamen adulteræ, quæ nonit, maritum esse sui criminis conscium, eum interimere, si maritus nondum se, ad eam occidendam parauit. Porro malefica, quæ magicis artibus aliud per dæmonem nocet, potest cogi verberibus ad desistendum, quando alia via euadendi non adest. Imò potest occidi, si certo constat, eam esse authorem mali, & putetur prius maleficium sine nouo maleficio tolli posse. Nauar. sum. c. 15. nu. 3. Bonac. de res. i. d. 1. q. vlt. pun. 9. Bannes 2. 2. q. 64. a. 3. dub. 4. concl. 2. c. 5. Manu. p. 1. c. 135. numero 2. Lessi. l. 2. c. 9. n. quadragesimo sexto. Diana p. 5. rr. 5. resol. 90. & p. 5. rr. 4. resol. 5. Sylui. Elcob. & Mend. Theol. Moral. T. m. l.

2. 2. quæst. 64. art. 7. quæst. 6. Marchant. c. 5. Decal. q. 2. casu 1.

Licet nonquam est, ante, aut post factum animationem dare matri pharmacum mortiferum factui, seu ex vi sua ad abortum ordinatum, vel factum mortem. Quia non potest quis directe innocentem occidere, vltimum seruet, si id fiat post animationem; si verò ante etiam erit illicitum. Quia sicut non licet ob sanitatem procurare pollutionem; ita non licebit, procurare abortum: vtrumque enim est contra naturam generationis, neque est medium per se necessarium ad sanitatem. At si mater periculosè laboret, & aliud non supersit remedium: potest ei exhiberi pharmacum directe in curationem tendens, etiam si pulsetur inde abortio secutura: modo proles non sit animata. Quia abortio tunc censetur solus permissa, non procurata; nam præter intentionem superuenit, matre suo iurâ vtente. Ceterum si proles iam animata sit, non est licitum præbere matri medicamentum directe curatiuum cum notabili periculo proles, si certum erat, vel probabile admodum, prolem sine illo vitam edendam. Attamen si valde probabile esset, non adhibito remedio vtrumque moriturum: eo verò adhibito, saltè matrem posse seruari: licet possunt hæc remedia adhiberi. Couar. p. 2. 6. 3. numero primo. Navarra l. 2. c. 9. numer. 140. Navarra sum. c. 25. numer. sexagesimo secundo. Sayr. in clau. l. 7. c. 12. numero vigesimo. Lessi. l. 2. c. 9. dub. 10. Diana p. 3. rr. 5. resol. 11. Graf. p. 1. l. 1. c. 6. n. 24. Henricq. l. 1. c. 16. n. 8. Sylui. v. Medicus, q. 4.

Nullò bono fine honestari potest sumptio potionis, qua proles conceptioni obstat. Quia eam impedire est contra naturalem generationis finem. Vnde id agere prohibet Bulla Sixti V. de abortu, §. 5. & etiam prohibetur in c. si aliquis, de homicidio. Sylui. 2. 2. q. 64. a. 7. quæst. 4. concl. 3. Turrian. 2. 2. d. 26. dub. 1. num. 45. Sanch. de matr. l. 9. d. 10. num. 28. & 10. Navarra sum. c. 16. n. 31. Filline. tr. 9. n. 101.

Illicitum est viro quantumvis nobili, occidere eum, qui sibi dicit contumeliosè Mentiris. Quia occidendo non offendit, se non mentiri: Ergo cum occiso, aut vulnerato, aut quæcumque alia percussio non sit medium aptum ad huiusmodi iniuriam depellendam: nec etiam esse potest medium licitum; hæc enim non sunt licita, nisi quando sunt apta, aut necessaria pro defensione. Azor. p. 3. l. 2. c. 1. q. 17. Diana p. 5. rr. 4. resol. 13. & alij communiter.

Illicitum est duellum acceptare practicè loquendo, etiam si recusando aliqua infamia apud eos, quibus cum viuere imminere videatur. Quia recusans duellum, nullam honoris sui iacturam facit apud pios Christianos. Vnde ille, cui duellum offertur, potest honoris suo consilere dicendo, se paratum esse illud acceptare, si per Ecclesiæ decreta liceret. Quod si alia ratione honesta innuadatur, se non defuturum Christianæ virtuti, & suo honori. Valent. 2. 2. q. 17. d. 1. pun. 1. Sayr. in clau. l. 7. c. 13. n. 13. Lessi. l. 2. c. 9. n. 8. & 84. Manu. p. 1. c. 136. n. 1.

Non est licitum vel furiosum inualorem interficere quando inuafus aufugere potest. Quia talem fugere, probrosum non est: sed potius non fugiens probro afficitur. Item tenetur filij fugere patrem, & auum: frater minor natu fratrem maiorem.

maiores. Quia huiusmodi fuga non timida-
ti, sed pietati, & reuerentiae adscribitur. At-
amen quando ex fuga magis periclitaretur in-
ualus, quam si non fugeret, eo quod inualor
maiores assumeret vires, ut à tergo fugientem
vulneraret, vel in insidias paratas incidere: fu-
gere non tenetur, esto esset persona Ecclesia-
stica, aut alia, cui fugere, dedecori non tribuen-
dum esset. Malder. 2. 2. tr. 3. c. 1. dub. 12. Moli-
na 10. 4. tr. 3. d. 17.

³⁵ Nec sibi mem-
brum ad spi-
ritualem sa-
nitatem am-
putare.
Nulli est licitum, sibi membrum, aut partem
membrum mutilare ad sanitatem spiritualem, ut
ad vitandas carnis tentationes, & ad peccatum
fugendum. Quia huiusmodi diligentia non est
medium necessarium ad animi salutem, non
enim membra afferunt perniciem homini, sed
malitia, ac negligentia libera voluntatis. Nec
refert aliquem sanctum hoc fecisse: id enim ex
divina inspiratione, vel probabili ignorantia
gessere. Licitum tamen est membra affigere, ut
que ad sanguinis profluxionem, modo non sit
vitae vel amissionis alicuius membri periculum
D. Tho. 2. 2. q. 63. a. 1. ad 3. Syluius ibi q. 65. a. 1.
Tolet. l. 5. c. 6. n. 7. Moli. 10. 4. tr. 3. d. 9. Lessli. l. 2. c.
9. dub. 14. n. 98.



CAPVT III.

De Homicidio Casuali.

³⁶ Quo inam di-
ca ut homici-
dium casuale



OMICIDIUM casuale dicitur,
quod omnino casu sit prater operan-
tis voluntatem. Dupliciter potest dici
casuale; Primo, quod non sit directè
intentum, sive sit aliquo modo voluntarium,
quod vocatur mixtum, siue sit pure fortuitum,
& casuale. Secundo, homicidium proprie & pu-
re casuale dicitur, seu fortuitum, quod ex aliquo
opere nostro prater intentionem evenit: ita ut
nec directè, nec indirectè voluitur censeatur, id
est, nec in se, nec in sua causa. Ad hoc verò duo
requiruntur. Primo, ut quis non vacet operi,
quod sibi sit prohibitum, aut illicitum; quia pe-
riculosum. Secundo ut debitam diligentiam adhi-
beat, ne quem laedat; si enim eam non adhi-
beat operi periculoso incumbens, censebitur sal-
tem in sua causa homicidium voluisse. D. Tho. 2. 2. q.
64. a. 8. Syluius ibi. Caiet. ad 2. Lessli. l. 2. c. 9. dub.
15. Sayr. de cēsur. l. 7. c. 5. & 6. & in clavi, l. 7. c. 14.

³⁷ Homicidium
pure casuale
ad nullam re-
stitutionem
obligat.

Homicidium pure fortuitum, seu casuale ad
nullam obligat restitutionem. Quia nullum est pec-
catum: est enim prorsus involuntarium, ut pote
nec in se, nec in sua causa intentum. Homicidium
autem non pure fortuitum, proveniens scilicet
ex eo, quod quis in opere suo non adhibeat de-
bitam diligentiam, obligat ad satisfactionem ali-
quando sub mortali, sub veniali aliquando. Quia
hoc homicidium est peccatum iniustitiae mor-
tale vel veniale pro ratione negligentiae, volun-
tariae omissionis diligentiae, quam vel ratio-
ne operis, quod hic & nunc aliquis facit, vel ratio-
ne officij tenebatur adhibere: Ergo similiter
obligatio ad satisfactionem nascens ex hoc pec-
cato aliquando erit sub mortali, aliquando sub
veniali. Tale est homicidium secutum ex deie-
ctione regulae, quando deest sufficiens cautio.
Et homicidium secutum ex negligentia Magistra-

tus in Verbe. Bonac. de restit. d. 2. q. ult. sect. 1. pun.
2. n. 3. & 5. Lessli. l. 2. c. 9. n. 103. 108. & 109. Diana
p. 5. tr. 4. resol. 46.

Si quis rei prohibita incumbat, & illicitè,
eo quod periculosa sit, tamen adhibeat debitam
diligentiam: etsi homicidium inde secutum qua-
dam ratione censeatur peccatum, non tamen
peccatum iniustitiae, nec obligat ad restitutio-
nem. V. gr. si Clericus venetum scoplo, vel
telo periculoso, & hominè casu interficiat, ad-
hibita tamen diligentia necessaria, ne quem lae-
det: peccat quodammodo illa occasione volèdo
eius causam, quae erat illicita, eo quod esset via
ad lésiones & homicidia: non tamè peccat cri-
mine homicidij, aut iniustitiae, sed contra Reli-
gionem; qui gessit quod status clericalis dede-
ret sanctitatem. Nam venatio periculosa, quae sic
cum debita circumspectione, non ideo est prohi-
bita, quod per eam fiat proximo iniuria: alioquin
etiam laico prohibita esset: sed quia dedecet sta-
tum Clerici illa militaris exercitatio, ex quo in-
terdum mortes hominum quamvis inculpate
assolènt evenire. Navarra de restit. l. 2. c. 3. n. 362.
Fillius. tr. 29. c. 7. q. 5. & 6. Hentius. l. 1. c. 16. n. 1.
Bonac. de restit. d. 2. q. ult. sect. 2. pun. 2. n. 5. Less-
li. l. 2. c. 9. dub. 15. n. 104.

Committit quis adulterium, & praeventus ab
adultera marito, eum occidit cum moderamine,
occiso ea censeatur casualis. Quia nec est culpa-
bilis in causa, cum adulterium sit causa tantum
remota, & occasio: non enim est via ad occisio-
nem mariti, sed potius adulteri. Et hoc verum
esse iudico, etiam si ante quam ad adulterium ac-
cederet, suspicatus sit, hanc incommoda obven-
tura. Bonac. de restit. d. 2. q. ult. sect. 2. pun. 2. n. 6.
Lessli. l. 1. c. 9. dub. 15. n. 106. & 107. Fillius. tr. 29.
n. 35. Diana p. 5. tr. 1. resol. 47.

Antonius clam Ioannem occidit, & Petro
ex suspitione homicidium illud imponitur eo
quod inimicus Ioannis occisi ab omnibus ha-
beatur: quaeritur, an damnum, quod Petro obve-
nit, Antonio occidenti ad satisfactionem sit im-
putandum: Si non ea intentione Antonius da-
num intulit Ioanni, ut inde Petro incommodum
accideret, sed per accidens secutum est, Antonio
non aduertente: non tenetur Antonius quicquid
Petro restituere. Quia qui occidit inimicum suum,
non tenetur ex iustitia cauere, ne alius accide-
ret: & quia tale damnum per accidens evenit
Petro, non ex actu Antonij occidentis Ioannem:
sed ex actu accusatorum, & falso testimonio. Na-
varra de restit. l. 2. c. 1. n. 77. Sotus de inst. l. 4. q. 6.
a. 4. Lessli. l. 2. c. 9. n. 110. Porro si praevidet An-
tonius ex sua actione damnum Petro even-
tuum ob aliorum malitiam, sed id nullo modo,
intendit, ex receptori sententia non tenetur ad
restitutionem. Quia quando ex aliqua actione
sequitur damnum tertio non ex natura actionis
sed ex malitia, aut ignorantia aliorum, quae se
immiscet, non censeatur huiusmodi actio iniu-
riosa tertio: Homicidium tamen tunc contra cha-
ritatem delinquet praevidens tale damnum ter-
tio secuturum occasione homicidij, quod tene-
batur ex charitate evitare. Sotus citat. a. 1. ad 2.
Ludou. Lopez 10. 1. Instr. c. 63. Navarra. sum. c. 15.
num. 17.

CAPVT IV.

De Restitutione propter Homicidium.

Alterum importune ad pugnam
proouocat, licet modum iusta defen-
sionis excedat, non tenetur ad restitu-
tionem, homicidio, aut mutilatione secuta.
Quia proouocans videtur ei condonare, cum
facit illi potestatem, vt contra se agat, quod
poterit. Idem dixerim quando duo se vicissim
proouocant, vel alter alterum etiam simpliciter
verbis, absque importunitate, & tali con-
sensu, pugnam aggrediuntur. Azor. part. 3. libr.
5. cap. 3. ques. 7. Salom. 2. 2. ques. 6. artic. 2. Lessi.
1.

libr. 9. capit. 9. sub. 21. Moll. tom. 4. a. 82. Diana
part. 5. tractat. 4. resol. 50. Filliuc. tractat. 32. nu-
mer. 12.

42. Qui autē inuadit ab altero sine prouoca-
tione, si limites iustæ defensionis notabiliter
excedat, ita vt mortaliter delinquit, inuaso-
rem occidendo: tenetur integrè damna com-
pensare. Quia qui ita interimit, facit alteri in-
iuriā, & est iniusta totius damni causa: sicut
qui dolo, aut lata culpa est alteri causa damni.
Licet enim culpa, & iniuria imminuat ex in-
iustione alterius quoad malitiam: non tamen
quoad restitutionem. Sic forquā clam accepit
mille, non minus teneat ad restitutionem.

quam raptor, & qui eadem millia vi abripuit:
esto fur minus peccavit, & minorem in aufe-
rendo intulerit iniuriam, quam raptor. Nau-
arra, *sum. cap. 1. §. num. 1. 4. Nauarra de r. 2. tit. libr.*
4. cap. 1. num. 92. Valq. de resit. cap. 2. §. 3. dub. 4.
Manu, part. 1. cap. 1. §. 8. num. 2.

43 Qui ab altero iniustus potest fugere, vel aliter pugnam declinare, etsi id non faciat, sed sistens gradum iusta moderatione se defendendo, occidit iniustorem: ad restitutionem non tenetur. Quia non peccauit contra iustitiam, sed solum contra charitatem; non enim ex iniuria fugere tenebatur, vel alia vi doli.

exheredare. Nemo namque ex sua malitia, qui vult adulterum inuadere, acquirit ius in eum, vt ad fugam teneatur, ita vt nisi fugiat, censeatur ei iniuriam facere; sed solum teneatur ex charitate fugere, si absque honoris dispendio possit. Imò hæres inuasoris occisi tenentur restituere damna, quæ passus fuit inuasus, qui cum moderamine inuasorem occidit. Quia hæc damna subiti inuasus ob inuasoris culpam. *Moli. rom. 4. d. 81. Ponacin. de restit. d. 2. quest. ult. sim. d. 2. punct. 1. mim. 3. Diana part. 5. tractat. 4. resol. 48. Lessi. libr. 2. cap. 7. dub. 21. numer. 136.*

Si is, quem iniuria affecisti, te inuadat, & cum moderamine inculpata tute-
la, eum inter-
tima: non teneris ad restitutionem, seu com-
pensationem homicidij. Quia qui alter iniuria
intulit si armis ab eo inuadatur, ultionis
ergo, potest se cum moderata defensione tue-
re. Taliter enim nullum ius habet sic priuata
authoritate inuadendi. Nauarra de resis. libro
2. cap. 3. num. 362. Lessi. libro 2. capite 9.

dub. 21. numer. 137. Manu. part. 1. cap. 135.
num. 2.

Mutilator, vel homicida, qui alium iniuste aggressus est, tenetur ad omnia damna, quæ passus est, pecunia, aut qui voluit accepti: verbi gratia, ad damnum emergens, & integras expensas factas ex curatione vulneris, ad lucrum etiam cessans vulneris causa. Quia iniusta sua actione causa fuit efficax huiusmodi damni, & cessationis lucri. Tamen non est restituendum totum lucrum, quod oculis, aut vulneratus consecutus fuisset, sed quantum illi spes lucri valebat, si quantum aliquo officio, vel ministerio faciebat: si tamen detractis quæ ipse solebat consumere, si obiret: ut sunt expensæ cibi, potus, vestitus, &c. Nam quæ ipse abutiebatur, non possunt in lucris ad heredes pertinentibus censeri: lucrum enim dicitur, quod superest, deductis expensis: verbi gratia, si spes lucri attinetur mille aureis, erat consumpturus quingentos superfluum, quingenti restituendi. Verum quia difficile est ad viguam quid fit restituendum definire, expedit adhibere transactionem, & compositionem cum parte, cui gerenda est restitutio. Nauar. *sum. cap. 15. num. 19. Saye. libr. 1. cap. 2. num. 5. & 6. Azor. part. 3. libr. 5. cap. 3. qua. 4. Nauarra de restit. cap. 1. num. 54. Molina tom. 4. d. 81. Couar. libr. 2. variar. cap. 10. num. 7. Diana part. 5. tit. 4. resol. 52.*

Si in rigore loquamur, omnia damna ex homicidio secuta ex bonis homicidæ sunt relaxanda, etiam si homicidæ poenam talionis sustinuerit. Quia poena à Iudice infligitur non ut damnum parti læsæ compensetur, sed ut inuria Reipublicæ, ac legibus iniuria vindicetur, neque illi terror incurritur. Azor. tom. 3. libr. 5. cap. 3. quæst. 6. Sa verb. Homicidium, num. 18. Naves. in sum. capite 15. numero 22. sect. 2. sermo occurrer.

Pro funeris expensis nihil ordinariē esse re-
tineundum. *Quia* nullum hoc ex capite illa-
tum est damnum: nam si occisus morte natu-
rali obisset; similes expensæ essent gerendæ.
effi. libr. 2. cap. 9. dub. 23. Nauarra de restr.
br. 4. cap. 1. num. 80. Traict. de restr. cap. 1. §. 3.
lib. 6. num. 17. Sylui. 2. 2. quæst. 51. artic. 2. que fi-
3. concl. 1. Philluc. tractat. 3. 1. numer. 200. &
Diana part. 5. tractat. 4. resol. 54.
61.

tuxta receptiorem sententiam non obliga-
re homicida ad gerendam restitutionem pro
ima occisi per elemosinas, Missas, &c.
Quamvis sit saluberrimum consilium, & natu-
ralis equitas id postulare videatur. Unde per
transactionem Sacramentali ego ei huiusmodi
disgracia adhibenda iniungerem.) Quia boni
spirituali non potest esse rei temporalis
etiam: Ergo non potest pro summo vitæ ex-
tina deberi. Molina tom. 4. d. 84. numer. 10.
anu. part. 1. cap. 1. 8. num. 8. Sotus lib. 4. de
1. ques. 6. artic. 3. Azor. tom. 3. lib. 5. cap. 3. Fil-
ci. tractat. 3. num. 205. Syluest. verb. Restitu-
3. ques. 2. Diana part. 5. tractat. 4. re-
55.

Qui interficit eum, qui naturali, vel iusta
 morte obiturus, non teneur ad restitutionem. Quia homicida: nullum damnum pecu-
 tus videtur intulisse. Nam occisus nihil lu-
 tus fuisset tam breui temporis interstio.

Z 4 Contrarium

48
Mutilator,
vel homicida
iniustus, ad
omnia dam-
na tenetur.

46
Etiam si ho-
micide rae-
dam ratione
insinuerit,
omnia dam-
na homicidij
refarcienda
sunt.

47
pro funeris
expensis nil
restituendum

48
on obliga-
r homicida
ffragia
occisi ante
.

49
tenetur
estitutio-
que in
cit sum

qui paulò
post erat na-
turalis, vel
iustam mor-
tem subitu-
rus.

Contrarium dixerim de eo, qui occidit alium, qui paulò post iniuste erat à latrone occiden-
dus: teneatur enim ad restitutionem. Quia iniuste occidit, & damnum, attulit: sicut alter si interfecisset, obligatus proculdubio esset. Na-
varra de restit. lib. 4. cap. 1. num. 78. Valq. de
restit. cap. 2. §. 3. dub. 3. num. 8. Lessi. lib. 2. cap. 9.
dub. 10. num. 131. Filliuc. tract. 32. num. 104.

50
Hæredes ho-
micida ad re-
stitutionem,
teneatur, si
homicida re-
liqui bona
liberata, in qui-
bus hæredes
successerunt.

Homicidæ hæredes teneantur ad restitu-
tionem tam damni naturalis, quam temporalis,
si antè mortem ille non satisfecerit: sicut te-
nentur solvere debita, quæ occisor debuit ex
iustitia, aut ex contractu; modo homicida re-
liquerit bona libera, in quibus hæredes suc-
cesserunt. Quia obligatio restituendi est rea-
lis: obligatio autem realis ad hæredes trans-
mittitur. Ad huiusmodi verò restitutionem
non tenetur pater pro homicidio factò à filio,
ni filius habeat bona castrensia, v. l. quasi.
Quandò autem bona homicidæ confecta
sunt, filius tenetur eam gerere restitutionem.
Navar. sum. cap. 15. num. 25. Aragon. 2. 2. qu. 62.
art. 2. S. y. lib. 1. cap. 2. num. 19. Reginald. lib. 10.
num. 320.

51
Teneatur ho-
micida lucrum
cessans, ac
damnum
emergens re-
sarcire.

Teneatur homicida lucrum cessans, & dam-
num emergens resarcire parentibus occisi,
proli, & uxori. Quia parens, & filius censentur
vna persona: similiter maritus, & uxor.
Quare qui occidit Petrum, uxori, filiis, & pa-
rentibus damnum infert: nam veluti partem
quandam abscidit, à qua illis obveniebat stri-
ctissima obligatione utilitas. Quare si filius sit
occisus, & parens debebat succedere, eo quod
interfectus prole carebat, ipsi est gerenda re-
stitutio. Similiter si filius debebat parentem
alere. Idem dicendum de vxore, ac filiis: ea
enim commoda uxori, filiis, ac parentibus re-
pendenda, quæ occisus præstare debuisset. Sayr.
in Clavi. lib. 11. cap. 1. num. 14. Sotus lib. 4. de
iust. quæst. 6. artic. 1. ad 3. Bonac. de restit. d. 2. qu.
ultim. sect. 2. punct. ultim. num. 2. Filliuc. tract. 32.
num. 207. Sylvi. 2. 2. quæst. 62. art. 2. quæst. 4. concl.
1. Layman. lib. 3. tract. 3. part. 3. cap. 6. num. 1.
Moli. tom. 4. d. 83. num. 6. Reginald. lib. 10. nu-
mer. 314.

52
Ad nullam
restitutionem
teneatur, quan-
do læsus, vel
eius hæredes
debitum om-
ne remittunt.

Homicida non tenetur ad aliquam restitu-
tionem, quando læsus, vel eius hæredes remit-
tunt omne debitum. Quia filiis, & uxori non
fit iniuria per homicidium, nisi quatenus læ-
duntur in sua parte contra eorum voluntatem.
Ergò quando hæc pars condonat omne dam-
num, nullus ius eis remanet. Erit tamen graue
peccatum, si filiis valde egentibus pater con-
donet occisori omnem restitutionem; valebit
tamen in conscientia, nisi certæ alicuius por-
tionis, verbi gratiã tertię, quartę, vel quintę
dispositio alicubi lege positiva ei non permit-
teretur; tunc enim non valeret remissio nisi se-
cundum hanc moderationem. Equidem fieri
poterit, & homicida etiam post factam re-

missionem ex charitate teneatur aliquid vxori,
ac filiis restituere: verbi gratiã, si sint effecti
pauperes valde ex illo homicidio, & homici-
da commodè valeat illis succurrere. Molina
tom. 4. d. 81. Filliuc. lib. 32. num. 210. Bonacin. de
restit. d. 2. quæst. ultim. punct. 1. numer. 16. Bannes
2. 2. qu. 62. artic. 1. Saloni. ibi, controuers. 9. Lessi.
lib. 2. cap. 9. dub. 26. num. 158. Diana part. 5. tr. 4.
resol. 48.

A peccato mortali iniustitiæ non excusa-
tur, & ad restitutionem tenetur. Antonium oc-
cidens iudicans esse Ioannem. Quia hæc actio
est iniusta contrà Antonium, licet falso puta-
retur Ioannes. Nam qui comburit domum Pe-
tri, quam putabat esse Pauli, Petto restituere
teneatur. Eum qui nocentem 4. §. si iniuria, ff. de
iniuriis. Molina tom. 4. d. 30. & 53. Sanch. de
matrimon. lib. 9. d. 32. num. 27. Couar. part. 1.
cap. Alma, §. 10. num. 15. Gomez 3. variat. cap. 3.
num. 14.

Homicidium, vel aliud damnum itrogatum
per mancipium, vel animal tuum, tibi imputa-
bitur, si tua culpa lata factum est, & ad restitu-
tionem totius damni teneberis. Verbi gratiã,
si iusseris, suaseris, impuleris: vel si negligens
fueris in præcauendo. Nec tunc sufficit, ser-
uum, vel animal noxæ dare, sed totum damnum
est compensandum. At si nulla tua culpa in-
teruenierit, non teneris ad totum damnum;
sed sufficit mancipium, vel animal noxæ de-
dere. Liberum tamen tibi est, vel damnum
compensare, vel rem, quæ nocuit tribuere: et
que post Iudicis sententiam. Sylvest. verb. Re-
stitutio 3. quæst. 4. Lessi. libro 2. capite 9. dub. 17.
numero 119. Diana part. 5. tractat. 4. resolu-
t. 52.

Verùm homicidia, ac damna, quæ per trir-
mes Turcarum, aut infidelium quoruncum-
que inferuntur, remigibus Christianis imputa-
ri non debent. Quia captiui non teneantur ex
iustitia à remigio abstinere, quando flagris, aut
nece propolita argentur, esto Turcæ contra
Christianos dimicent. Quia remigatio est per
se actio indifferens, quæ ex Turcarum malitia
ad Christianorum necem tendit. Secus dicen-
dum de iis, qui tormenta in Christianos diri-
gunt, ignem bombardis admovent, pilas explo-
dunt, aut sagittas proiciunt, etiam si hoc ge-
rent metu mortis. Quia actionem intrinsece
malam exercent. Caterùm fieri potest, vt re-
miges illi ex charitate teneantur non remiga-
re: verbi gratiã, si tam ingentia damna seque-
rentur, vt ad ea impedienda teneantur vitam
exponere; secus si mala secutura haud tanti
ponderis essent. Sanch. lib. 1. sum. cap. 7. num. 18.
Valq. de iustit. cap. 9. §. 1. dub. 2. numer. 39. Lessi.
lib. 2. cap. 9. dub. 18. Bonac. de restit. d. 1. quæst. 2.
punct. 10. num. 22. & 5. Reginald. lib. 11. num. 119.
Azor. part. 3. lib. 4. c. 1. §. qu. 2. Layman. l. 2. tr. 3.
c. 13. m. 5. Diana part. 3. tract. 6. resol. 48.